
TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

SCARLATINA. ANGINOSA.

10

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
SCARLATINA ANGINOSA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOB WILLIMAN,

CAROLINENSIS MERIDIONALIS,

Soc. Societat. Phyc. American.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

TESTAMENTUM MEDICUM

JACOBI WILHELMII

SCARLATINA ANGIKORSA
CHRISTOPHERO WILHELMII

D. GEORGI PATRI D. C. A. T. T.
Cum auctum in familia meorum, repetens
cum quanta humilitate quousque esse solent
tunc omnibus anni committit consilium, quan-
tum indulgentiam adhiberi me, cum tempore
adhiberit, quantopere officia, a salutem ipsius
me committit, pariti profectum, non die potius
dehinc, eximiam hoc opusculum inaugurata
debet debeat. P. M. igitur confectum, ut
eximiam carit. beneficentiam, quae accipiam
consequam habentibus, sicut in universum. D. M.

1717

JACOB WILLIMAN,

PATRI SUO INDULGENTISSIMO,

CHRISTOPHERO WILLIMAN,

S. P. D.

Cum mecum, in paucula momenta, reputaveram, quanta humanitate quamque vere paterna cura omnibus meis commodis consulueris; quantam indulgentiam adversus me, omni tempore, adhibueris, quantoque affectu, a natalibus usque, me constanter fueris prosecutus, non diu potui deliberare, cuinam hoc opusculum inaugurale dicare deberem. Tibi igitur consecratur, ut exiguum animi beneficiorum, quae acceperim, nunquam immemoris futuri monumentum. Diu vivas et valeas, ab omni parte beatus.

*Edinburgi, dabam nonis Septembris, }
anno salutis humanae, 1795. }*

JACOB WILLIAM

THE TALENTED MR. RAY

CHRISTOPHER WILLIAM

1777

1777

Car. Ray, in prima nocturna, et...

SCARLATINA ANGINOSA

... in prima nocturna, et...

... in prima nocturna, et...

... in prima nocturna, et...

... in prima nocturna, et...

... in prima nocturna, et...

... in prima nocturna, et...

... in prima nocturna, et...

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

SCARLATINA ANGINOSA.

QUÆ definitio hujusce morbi a Culleno celeberrimo, nosologorum, quos nostrum seculum viderit, longe accuratissimo, traditur, ea subsequitur. “ Cynanche (maligna) tonsil-
“ las et membranam faucium mucosam affi-
“ ciens tumore, rubore, et crustis mucosis co-
“ loris albescentis vel cineritii, serpentibus, et

A

“ ulcera

“ ulcera tegetibus ; cum febre typhodè et ex-
“ anthematis.”

HISTORIA MORBI.

Hic morbus, uti experientia clare testatur, qualibet anni tempestate, et quoque per quassibet caeli, five hoc fit calidum, five frigidum, five humidum, vicissitudines, semet ostendit. Potissimum vero, ab initio mensis Septembris, ad Decembrem extremum usque, praesertim si aestas siccior et calidior praecefferit, epidemice grassatur. Nonnunquam formam tam mitem sibi assumit, in hominibus singularibus, ut vix nomen morbi mereatur. Nemo ambigere potest, quin hic morbus, et ille a Sydenhamio immortali depictus, plus, quam mera varietate, inter sese differant; vir enim illustris eum nihil periculi omnino habere existimat. Quodlibet temperamentum, et mortales omnis aetatis inva-

dere potest. Notatum fuit, pueros, quam adultos, sexum foemineum, quam masculinum, ad hunc morbum esse procliviores.

Qui constitutionem corporis delicatiorum, laxam et irritabilem, habent; qui e morbis praecedentibus, ut variola, rubeola, &c. tantum convalescunt, ii huic morbo opportuniores sunt, quam valentiores sanguineoque temperamento praediti, qui vel in mitem ejus speciem incidunt, vel ab eo, ex toto, immunes manent.

Aliquando prima hujusce morbi accessio vix percipi potest, et aegrotanti tarde obrepit, qui foras, in biduum triduumve, pro more solito, prodit, languescens leviterque oppressus. Aliis temporibus rursus, magis subito invadit, et, sub ipsa initia, omnes notas febriles in conspectum dat, quales sunt anxietas, animus demissus, rigores et horrores, capitis dorisque dolores, magnus oppressionis circa praecordia sensus, nausea, vomitio

4 DE SCARLATINA ANGINOSA.

vomitio gravis, magna vertigo, et ad syncopen proclivitas. Vespere appetente, sensus rigiditatis et doloris levioris, circa cervicem faucesque, oritur. Hae, cum palato, colorem perquam floridum habere reperiuntur, dum uvula fusco-purpureo insignitur. Lingua crusta, crassa, albidula, mucosa, cooperitur; dum margines ejus modice puri humidique manent. Prout morbus progreditur, fauces magis magisque afficiuntur, et maculae albae in iis sese ostendunt, quae magnitudine et crassitie gradatim incrementum. Tumores colli quoque evidentiores evadunt. Per hoc stadium pulsus arteriarum plerumque celeres debilesque sunt; quamvis interdum duri pleni que esse reperiuntur. Sub hoc tempus quoque, accedit spirandi difficultas, cui adjungitur averfatio potius, aliquid devorandi, quam impotentia. Spiritus difficilis eo usque aliquando incrementum, ut suffocationem aegroti miserando subitanam minitetur. Periculum autem hujus a pressura, traheae glottidique per tu-

DE SCARLATINA ANGINOSA. §

morem colli illata, proficiscitur. Insuper fluxu sanguinis retardato, qui, hanc ob causam, circa caput, stagnat, adaugetur. Circa hoc tempus, oculi quoque speciem insignem, modo igneam et turgidam, modo hebetem, vitream et aquosam, prae se ferunt.

Nunc plerumque eruptio rubicunda in conspectum venit. Saepe tamen multo serius apparet, quoniam mutatio a regimine calido ad frigidum levissima eam aut accelerare, aut retardare valet. Eruptio nonnunquam quidem, sine affectu gutturis, sese in conspectum dat; et, alias, hic, sine illa, decursum absolvere solet. “ But many times the cuticular eruption appeared before the fore throat, and was sometimes very considerable, though there was little or no pain of the fauces; and, on the contrary, a very severe angina seized some patients, who had no manner of eruption *.”

Haec

* Huxham on the Ulcerous Sore Throat, p. 231.

DE SCARLATINA ANGINOSA.

Haec eruptio interdum speciem admodum igneam sibi induit, et ubique, in corpore universo, apparet. Nonnunquam in partibus singularibus tantum, ut in pectore et facie, in cruribus et brachiis, se ostendit. Quaedam papulae magis, quam reliquae prominent, pustulas variolosas referentes.

Quanquam haec eruptio, ubique corporis, et modo faustissimo, exoritur; morbus nihilominus tamen non multum levatur. Aliquando quidem magnam oppressionem et anxietatem, et signa quoque febrilia, nonnihil diminuit. Frequenter tamen, vesperam versus, omnia signa evidenter ingravescent; et delirium mite invadit, quod tamen morbo minime proprium est.

Dum morbus hoc modo pergit, materia corrodens et ichorosa, (si ita loqui liceat), e naribus et ore profluit, quae molestiam aegroto constanter facessit, et labia, genas collumque, cuti-

cula

cula privat. Devorata, ut in pueris incidere consuevit, diarrhoeam graviolem, torminibus et tenesmo slipatam; et aliquando etiam superficiei totius decursus canalis alimentarii exulcerationes facit. Quinetiam ab absorptione ejus proficiscuntur parotidum axillariumque glandularum tumores, qui, hoc morbi tempore, saepius accedunt. Hi rarius vero ad suppurationem usque progrediuntur, et, si hoc incidit, facile sanantur, quoniam plerumque pus admodum laudabile profundunt. Interdum quidem diu, postquam morbus decessit, duri tumefactique manent.

Sanguis nonnunquam e naribus et faucibus, et, quibusdam in casibus, copiosissime, sponte profunditur; et etiam aegrotum subito rapuit. Hoc a ramis quorundam vasorum sanguiferorum, quae in hisce partibus sita sunt, per ulcerationis oritur.

8 DE SCARLATINA ANGINOSA.

Menstrua interdum, hoc in morbo, quamquam tempus consuetum longe aberat, fuerunt profusa, etiamque in iis, quibus nunquam antea provenerunt.

Per hoc temporis spatium, ictus arteriarum admodum debiles languidique sunt. Oculi hebetantur, gravescunt, et sensilitate privari videntur. Extrema corporis frigescent, et nonnunquam delirium leve, mussitante aegroto, accedit. Praeterea urina et faeces, sine voluntate excernuntur. Haec signa autem aegrotum summo in periculo versari testantur, et ad ultima fere jam perventum esse significant.

Quamvis morbus typum, supra descriptum, sibi frequenter assumit, et complures gravitatem, modo delineatam, experiuntur; saepius vero, sub forma multo mitiore, apparet, aegrotum lecto raro etiam continens, vel ullam aliam molestiam, si eam, quae ab eruptione oritur excipias,

DE SCARLATINA ANGINOSA. 9

ei faceffens. Haec speciem subesse novimus, si notae subfequentes oriuntur. Si eruptio nempe, sub ipsum initium, perquam florida et univerfa incidit, et fenfu leviter pungente ftipatur, si oculi quoque ruboris superficiei participes effe videntur, magnopere fuffunduntur, et speciem igneam habent; si guttur leviter afficiatur et vitium ejus, ad formam exquisitam fupra pofitam, non progrediatur; si ulcera ad gangraenam non tam proclivia effe videantur. Rebus ita fe habentibus, arteriae plene valideque micant; et tumor faucium, morbo incipiente, vix percipi poffe videtur. Si haec eruptio recedit, aegrotus, ut in omnibus aliis ejufdem naturae exemplis, fummo periculo objicitur; namque effectus quam maxime lethales eam repulfam excipere confueverunt. Eruptio plerumque in fquamulas furfuraceas, deciduas, abit, quae oedema univerfum, fibi fuperftes, relinquere folent.

10 DE SCARLATINA ANGINOSA.

Hic morbus quoque, sub aliis formis, exitio fuit. Namque, ut in aliis morbis incidere consuevit, per metastasin, ad cerebrum, phrenitidem; vel ad pulmones, pneumoniam excitans, transferri potest.

SEMINIA.

Quantopere hic morbus a statu aëris singulari, quantopere a conditione corporum nostrorum, prout a tempestate labente afficiuntur, pendeat; et denique quantum nexum cum aliis morbis, qui epidemice grassantur, habeat, sunt res explicatu in primis difficiles. Hoc vero compertum habemus, regionem, anni tempestatem, et victus rationem, epidemico invalescenti adjuncias, plurimum posse, et corpora mortalium ad morbos procliviora efficere, et vim contagionis intendere.

Pueri et mulierculae, ut supra notavimus, forsitan quod magis domi continentur, et plus commercii cum infectis habent; et constitutione corporea delicatiore et infirmiore præditi, ad hunc morbum proniores, et plus detrimenti inde capiunt; quam valentiores, dio multum objecti, et ab infectis disjuncti et separati. Namque hi in morbum multo rarius illabuntur. Non hinc cogere debemus, eos adversus hunc morbum ex toto tutos esse. Etenim, si, contra, infectis multum interfint, vel corpora iis, per quodlibet, quod vires iis convellere potest, debilitentur, aequè ac priores, contagio affici periclitantur. Hoc sequentia, quae attentionem nullius fugere possunt, explicabit; quod pueri tempore, quo dentes illis oriuntur, frequentius corripuntur; quod mulieres, dum menstrua provenire incipiunt, vel dum profundi pergunt, morbo potissimum tentantur; et denique, quod morbus hujuscemodi affectos gravissime exercere consuevit.

NOXÆ, VEL CAUSÆ EXCITANTES.

Causam autem præcipuam excitantem contagium specificum vel singulare esse, nobis persuasum habemus. Quonam vero modo certo progeneretur, a quali origine proficiscatur, qua ratione quoque in corpus humanum agat, vel quantum ejus ad morbum movendum sufficiat, ex toto ignoramus. Et si hæc omnia quidem rite perspecta haberemus, non multum auxilii forsitan, quantum ad curationem morbi attinet, inde deduceremus.

Hoc igitur, materiam contagiosam hunc morbum semper comitari, eundemque constanter movere clare evidenterque probat. Morbus autem, vel infectorum contactu vulgatur, vel ab aëre vitiato proficiscitur. Denique uti omnia, causas spectantia, quasi uno verbo, comprehendamus, feminium cynanches malignae est debi-

litas

litas irritabilitasque conjunctae, causa excitans, vel noxa, contagio specifica vel singularis, et causa proxima, si ad conjecturam meram decurrere liceat, proclivitas omnium humorum ad putredinem summa.

DIAGNOSIS.

Cum hic morbus, sub initium, pro aliis, qui naturam omnino contrariam habeant, et longe diverse tendant, haberi possit; igitur hos et morbum, quem exequimur, a se invicem fecerere summi momenti est, non tantum, ut usus medici practicus rite regatur, et limitibus idoneis circumscribatur; sed etiam ut saluti curae suae concreditorum quam maxime consulatur, quod a discrimine idoneo iustoque instituto magnopere pendet.

Hanc ob causam, morbos, qui summam cum eo similitudinem habent, quam clarissime designare

nare conabimur. Cum igitur morbus, de quo agitur, ab eo, a Sydenhamio, sub nomine febris scarlatinae, descripto, et a cynanche maligna Fothergillii, nihil omnino, praeterquam mera varietate, differat, utrumque morbum ab iisdem causis, et ab eadem contagione pendere concludamus necesse est. Quanquam vero hi duo morbi, ab iisdem causis, omnino pendent; magna tamen varietas in illis, qui in eos incidunt, semet ostendit. Qui ad eandem familiam pertinent, qui eodem victu utuntur, qui in eodem lecto, vel cubili decumbunt, ii eadem signa in conspectum dare minime consueverunt. Namque morbus in aliis gravior, in aliis lenior est. Alii eruptionem levem tantum, alii guttur leviter dolens, alii rigidum queruntur. Alii ejus formam exquisitissimam experiuntur; omnes tamen morbi species ab eadem causa simplice, nempe fonte materiae contagiosae solo, profluunt. Igitur fere supervacaneum foret, de hac re ulterius differere. Exempli ejusdem generis, ut omnia verbis paucissimis

ciffimis abfolvamus, fuppeditant variola et ru-
beola. Namque nullam rationem reddere pof-
fumus, cur illa, licet ab eadem contagione pro-
ficifcatur, in uno aegroto, femet, fub forma dif-
cretæ, et, in alio, fub forma confluentis osten-
dat. Nec rite poteft explicari, cur hæc modo
mitis, modo maligna fit, in hominibus, qui con-
ftitutionem omnino eandem, vel faltem confi-
mitem, habere videntur.

Alius morbus, qui fcarlatinam malignam plu-
rimum refert, eft cynanche tonfillaris. Uter-
que morbus ab affectu faucium, nempe dolore
et rigiditate, incipit. In posteriore, difficultas,
potiusve dolor, devorandi magis infignis eft.
Infuper notari poteft, cynanchen malignam, a
materia contagiofa, fub aliqua forma, corpori
admota, pendere, et juniores debilesque inva-
dere; dum robuftiores vel ab ea ex toto vacui
manent, vel ea tantum leviter laborant. Quan-
tum vero cynanchen tonfillarem fpectat, ea a
nulla

nulla contagione profluit; sed plerumque a frigore, sub aliqua forma, corpori admoto oritur. Frigus autem morbum, ob duas rationes, movere potest; vel quod intensius est, et ei, longum in spatium, applicatur; vel quod corpus, per aliquam causam, ut calorem antecedentem, actioni ejus opportunius efficitur. Insuper valentes plenosque invadere consuevit; et dolor colli fauciumque constanter violentior est, omnes partes, aures potissimum versus, semet diffundens, sensumque tinnitus in his faciens. Quinetiam rarissime, ne tumores faucium gangraena finiantur, timendum est. Per pressuram quidem, tracheae glottidique magnitudine illatam, suffocationem aegroti, quae rarissime incidit, aliquando minitantur. Ad suppurationem plerumque perveniunt, quantitatem materiae purulentae magnam nonnunquam profundentes, nisi eventui hujuscemodi, per remedia, mature fuerit occursum. Hoc quoque in cynanche tonsillari notabile est, quod ii, qui semel ea fuerunt correpti,

correpti, in eandem rursus illabi periclitantur; vel morbus consuetudine acquiritur. Namque corpus causae excitanti, etiam quam levissime, obijcere ad morbum renovandum sufficit.

Praeterea, in cynanche maligna, aegrotantes dolorem faucium et difficultatem devorandi, unde omnia alia signa manare videntur, quaeque in tonsillari tam insignia sunt, raro queruntur. Corpus universum vero languore et debilitate magnis afficitur, et crustae mucosae, a faucibus disjunctae, ulcera, subter sese, ostendunt, quae speciem fusco-lividam prae se ferunt, et ad gangraenam magnopere vergunt.

Aliud summi quidem momenti silentio praeteriri non debet, complures nempe auctores, qui summam famam et existimationem sibi in medicina acquisiverunt, in quibus celeberrimus Cullenus est, existimasse, maximam discriminis, scarlatinam inter et cynanchen malignam, notam

in hoc consistere ; quod illa homines, utcumque frequenter contagioni postea objiciantur, per totum vitae decursum, semel tantum invadit ; et haec eisdem saepius afficere potest. Huic rei vero plenissimum lumen, in praelectionibus suis, dum de cynanche maligna cum scarlatina agebat, offudit illustrissimus Gregorius. Namque historias casusque complurium, qui bis scarlatina laborarunt, diserte enarrat ; adeo ut morbo semel laboravisse parvum, adversus morbum, praesidium, in futurum, suppeditet.

Quinetiam, inter cadavera hoc morbo extinc-torum incidenda, fuit notatum, membranam, praeter naturam traheam succingentem, ut in cynanche traheali incidere consuevit, fuisse re-pertam. Haec tamen pro symptomatrica habenda est, et forsitan ab inflammatione, a faucibus ad traheam diffusa, vel ab aliquanto materiae acris in traheam delabente, ibique inflammatio-nem movente, proficiscitur.

PROGNOSIS.

Res, quantum ad famam et celebritatem medici attinet, summi quidem momenti est, eventum morbi, vel faustum vel infaustum, accurate praefagire. Hoc vero, modo in primis difficile est. Namque nonnulli morbi, sub initia, signa levissima et auspiciatissima ostendunt; deinde, sine ulla causa evidente, quae percipi potest, naturam suam, ex toto, mutant, notasque minacissimas edunt. In nullo autem morbo, quam in hoc, quem exequimur, cautius prudentiusque agere debet medicus; etenim varietates ejus numerosae sunt, exitusque saepe subitaneus et insperatus. Morbus interdum tam mitem formam sibi assumit, ut de eventu ejus bono nequeat dubitari. Quo vero magis ab hac deflectit, eo magis incertus et dubitabilis finis ejus esse periclitatur. Diligentissime ad aetatem et constitutionem aegrotantis

tantis corpoream attendatur, et ad situm, in quo, quantum aëra spectat, est. Si aegroti sint pueri, quibus non multum aetatis accesserit; si delicatiores et infirmiores sint; si etiam aetate provectiores sint, sed corpore debiles, morbisque praecedentibus exhausti, eventus minime faustus est expectandus. Si vero, contra, viribus non parvis et temperamento sanguineo praediti sint, finis, pro ratione rata, felicior sperandus.

Morborum, qui, eodem tempore, epidemice grassantur, eorumque, quae modo comprehendimus, notitiam pleniorē constanter habere debemus. Et ita parati in errorem, super prognosi, raro illabemur. Ad sequentia quoque consideranda animum curiose adjungamus.

Exitus morbi prosper et secundus plerumque evadet, si eruptio mature semet ostendit; si spatium corporis universum, vel non modicum, occupat; si colorem splendidiorē habet; si spi-

ritus liber et facilis manet; si partes, circa collum, non magnopere tumescunt, vel, post tempus brevius, tumores earum decrescunt; si crustae mucosae a partibus sibi subjacentibus facile separantur, hasque colore nitentes relinquunt; si totum systema non affici videtur.

Sin, contra, vero eruptio, postquam superficiem, in diem spatiumve paulo longius, tenuit, subito recedat; si crustae mucosae, inaequaliter modoque fimbriarum, faucibus adhaereant, et, subter sese, maculas, specie purpureas lividasve, hic illic, ostendant; si tumores colli increscant, et corporis extrema speciem caeruleam lividamve prae sese ferant; si his denique respiratio difficilis, cum ictibus arteriarum celeribus, exilibus et abnormibus, superveniat; in periculo summo versatur aegrotus. Si, morbo nondum longe provento, delirium, coma dolorque capitis accedant, cerebrum ejusve meninges affectas esse testantia; vel si sanguis ex ore, vel naribus, fundatur,

fundatur, materiaque ichorosa e faucibus copiose effluat, mortem non longe abesse, pro certo fere praedici potest. “ Some grow easier
 “ from the first day of the attack ; but, in general, the symptoms of recovery appear on
 “ the third, fourth, or fifth day, and proceed in
 “ the following manner. First the redness of
 “ the skin disappears, the heat grows less, the
 “ pulse, which had hitherto been very quick,
 “ becoming slower, the external swellings of
 “ the neck subsiding, the sloughs in the fauces
 “ casting off, the ulcerations filling up ; the patient sleeping without confusion, composed
 “ when awake, and his appetite beginning to
 “ return *.”

Hic morbus denique nullam crisin habet. Alii aegrotantium, intra triginta vel sexaginta horas, convalescere incipiunt. Alii contra, in dies
 duodecim

* Fothergill on the Ulcerous Sore Throat, p. 372.

duodecim vel quatuordecim, vel spatium longius, morbo conflictantur, ut Gregorius illustrissimus, in praelectionibus suis, notavit.

RATIO MEDENDI.

In specie scarlatinae simplice, parum artis medicae, saltem plerumque, requiritur. Nihil quidem amplius, quam ut aeger aëri frigido libere objiciatur, et ea, quae ad proclivitatem, putredinem versus, creandam conferunt, caute vitet, necessarium esse videtur. Sydenhamius immortalis, de hoc morbo agens, sequentia memoriae posterorum tradit. “ Quod si plus negotii aegris faceffamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel cardiacis aliisque remediis supervacaneis, nimis docte, et (ut vulgo videtur) secundum artem, supra modum ingestis, morbus statim intenditur, et aeger non raro,
 “ nulla

24 DE SCARLATINA ANGINOSA.

“ nulla alia de causa, quam nimia medici dili-
gentia, ad plures migrat *.”

Cum vero altera hujusce morbi forma opem medicinae frequentius poscat, de hac nihil amplius dicemus; sed ea, quae curationi speciei, ad putredinem vergentis, accommodari videntur, considerabimus. Si, ullis in exemplis speciei simplicis, medicamenta necessaria evadent, ea, quae naturae ejus conveniunt, facile possunt reperiri.

Quod in curatione hujusce morbi primum necessarium esse videtur, id est, regimen anti-phlogisticum stricte adhibere, aëra frigidum ad aegrotum liberaliter adspirare permittere, omnemque immunditiam ab eo quam longissime arcere. Si aegrotus temperamenti robusti sanguineive sit, si mature respiratione
difficili

* Sydenham, oper. sect. vi. cap. ii.

difficili afficiatur, si pulsus arteriarum plenos durosve habeat; praesertim si ulla sanguinis congestio in capite, rubore faciei designata; formari videatur, ad missionem sanguinis largam et liberam protinus confugi debet.

Cum, sub initium hujus morbi, vertigo, nausea et vomitio nonnunquam accedant; missio sanguine, si hoc necessarium esse fuerit judicatum, ad emeticum decurratur, propterea quod materia alimentaria in ventriculo stagnare, fordesque oesophago faucibusve adhaerere possunt. Vim detergentem habere potest. Quod medicamentum huic consilio optime accommodatur, id est pulvis ipecacuanhae; quod et pueris, quibus eum sumere persuaderi potest, tuto praecipere valet; quodque, qualibet dosi datus, non tantas evacuationes, quantas medicamenta antimonia- lia, facere periclitatur. Dosis ejus, pro aetate, sexu et constitutione aegrotantis corporea, magnopere variari potest. Quolibet morbi tempore,

D ad

ad diem quintum usque, tuto dari consuevit. Purgatio alvi, utpote quae ad regimen antiphlogisticum pertineat, primo intuitu, idonea esse videretur; experientia autem, quae praxin medicorum constanter regere debet, ut parce adhibeatur, plane evidenterque suadere videtur. Quinetiam, cum affectus cathartorum non semper pro certo statui possint, caute, saltem, adhiberi debent, et, in locum eorum, enemata emollientia, frequenter adhibenda, tutius substituentur.

Medicamenta autem, quae curationi hujusce morbi, cum longius progressus est, optime conveniunt, sunt tonica et stimulantia, quibus adungi possunt antiseptica, qualia sunt acida fructuum nativa, et mineralia.

E tonicis praecipuum est cortex Peruvianus, qui forma pulveris potius, quam qualibet alia, et dosibus tam largis et frequentibus, quam ventriculus viresque aegroti tolerare possunt, dari debet. Cum vero, ob aetatem tenellam corti-

cive

cifve averfationem, aegrotanti, ut hoc medicamentum, fubftantia, fumat, perfuaderi nequit, ad enemata larga ac frequentia, e decocto ejus valentiore compofita, decurratur. Si haec non rite retineantur, guttas laudani pauculas illis adjicere conveniet.

Vinum una cum cortice quoque liberaliter dari debet, ubi delirium non fubeft. Cum hoc refpuitur, quodlibet aroma gratum ei addi potefit.

Acida fructuum, praefertim maturiorum et amarorum, fi talia funt parabilia, copiofe danda. Si haec, copia fatis magna, comparari nequeunt, ad acida mineralia, qualia funt vitriolicum, decurratur. Dofibus exiguis frequenter dentur.

Epifpaflica.—Cum tumores colli, morbo proVectiore, infigniter ampli evadant, gravem dyfpnoeam faciant, et interdum eo magnitudinis progrediantur,

grediantur, ut aegroto miserando suffocationem intentent, ad epispastica fuit decursum. Quoniam vero irritatio, ab his oriunda, constanter magna est, partes quoque ad gangraenam vergunt, et remedium, in summa, perquam anceps est, adhiberi non debent, nisi gravitas casus ea plane evidenterque desiderare videatur.

Gargarismata.—Haec, per stadia morbi posteriora, summi momenti sunt, quod humorem acrem, ex ore et faucibus constanter effluentem, diluunt, et, ne partes gangraena corripiantur, cavent, quod, remediis potentissimis frequenter incassum tentatis, nimis saepe incidere consuevit. Decoctum corticis Peruviani, hoc consilio, fuit adhibitum, et etiam acidum vitriolicum dilutum. Quod etiamnum praestantius magisque simplex esse videtur, id est aliquantum vini Lusitani et aquae commistum, quod frequenter adhiberi potest. Quinetiam ulcera faucium minus, quam supra posita, irritabit, et ex aequo efficax esse reperietur.

reperietur. Mel, ex aceto bene dilutum, in usum quoque fuit revocatum.

Quidam auctores, ut ulcera faucium scarificarentur, et mel Egyptiacum illis, auxilio instrumenti idonei, applicaretur, suaferunt. Quae vero epispasticis fuerunt objecta, eadem viae hujuscemodi medendi plane adversantur. Insuper quaelibet injuria, faucibus illata, haemorrhagiam facere posset, quam sistere difficillimum foret.

In pueris potissimum, diarrhoea violenta accedit, ob acrem materiam, in faucibus collectam, constanter devorata. Aliquos naturaliter invadit, viresque iis magnopere convellit. Igitur ei quam maturrime occurratur oportet. Hoc plerumque efficaciter praestabunt adstringentia leniora, vel opiata. Quinetiam acrimonia profluvii, partes canalis alimentarii inferiores versus, ubi tormina, et tenesmos progignere consuevit,

30 DE SCARLATINA ANGINOSA.

suevit, per liquores emollientes, sub forma enematum, frequenter immixtos, magnopere obtundi potest.

FINIS.

